

VIRO ILLUSTRIS
B. G. NIEBUHRIO C. F.

S. P. D.

A. F. NAEKIUS.

Diu est, quum aliquid et Tibi debere, Vir Illustris, et vero mihi quoque, ne in crimen apud Te inertiae incurram, videor. Scito igitur, si quando a Te propositam scribendi conditionem non ea cupiditate arripuerim, qua decet conditiones a Te propositas, hoc est luculentas et honorificas, arripere: id eo factum esse, quod totus, quantum quidem licuit, in carmine vel potius in carminibus Valerii Catonis: nam duo sunt, Dirae, et Ecloga e Lydia: expoliendis atque illustrandis occupatus essem. At parvum inceptum; vix ducenti versus. Sane: ego vero, sive re vera tam bonus poeta est, sive aliquid antiqua illa simplicitas habet cum mea simplicitate congruum, mirifice diligo hunc hominem. Et Cato rursus longa consuetudine faciliorem se mihi, nisi fallor, quam multis aliis praebere, sensusque suos saepe reconditos recludere constanter percontanti voluit. Edam autem proxime utrumque carmen instructum animadversionibus atque idoneo librorum apparatu. Sine libris enim, ut scis, non licet pedem ponere in hac poesi: et habeo praeter eos, quorum apud Burmannum mentio est, non paucos, inter quos sunt perboni et prorsus ignoti. Nunc unum ex eo opere caput delibare placuit, ut aliqua etiam mei pars esset in Museo

Rhenano, cui si quid haberem quod insererem, non ingratum Tibi fore significavisti.

Scr. Bonnae, Cal. Decemb. 1827.

Sed *Battarus* quis tandem aut quid fuit? Indicavimus *Battari* iam in *Indignatione* videri mentionem fuisse. Verum ea observatione tam parum lucratur, ut illa etiam augeat difficultatem. Si enim, qui fuerit *Battarus*, tam incertum est, quam videtur incertum esse, nihil iuvat, quod tam obscurum nomen etiam in altero Catonis carmine fuerit. Nam de *Battaro* incredibilis est opinionum varietas. Antiquissimi interpretes, quos quidem nihil sciuisse de Valerio Catone, sed ad Virgilium retulisse has *Diras* tenendum est, *arborem* fuisse *Battarum* coniciebant, et quidem *fagum* ex Virg. Ecl. I. Pomponius Sabinus ad versum 1. *Battarus interpretatur fagus illa, sub qua carmina cantabat de Lydia*. Cf. idem ad Eclog. I. 1. et IX. 9. Domitius Calderinus in argumento *Dirarum*: *Dirigit autem ad Battarum, non vicum, ut aliqui male sentiunt: sed sicut potest ex verbis Virg. colligi, Battarus arbor erat in agro Virgiliano: itaque fagum de qua in Bucol. scribit intelligimus*. Idem sentiebat Badius. At gloss. V. I. diversa paullulum ratione, *silvam* intelligebat: *In agro Virgiliano erat silva nomine battarus: in honorem Iouis incedua reseruata*. Rursus Scaliger *fluvium* esse *Battarum* censebat: quam opinionem quomodo exornaverit, ipsum audire operae pretium est ad v. 1. Cum Scaligero faciunt Boxhornius ad v. 36. Sriverius ap. Burmann. ad v. 93. N. Heinsius ad v. 29. 33. et 35. de *colle* cogitat; vel ipsam *villam* Catonis dictam fuisse *Battarum*. Audiamus etiam Is. Vossium, qui in exemplo editionis Scalig. 1573. quod *Leidae* asservatur, ad disputationem Scaligeri eam, qua versum 64. convertit in rem suam, haec adscripsit: *imo mons potius,*

nam sequitur, Nam tibi sunt fontes tibi flumina semper amica. Sed neutrum verum esse puto. Quae est bona observatio. Videbat Vossius versum 64. non ad confirmandam sententiam Scaligeri, sed ad refutandam factum esse. Si enim ipse fluvius fuisset Battarus, non hoc precaturus erat Cato: *Battare, fluminibus tu nostros trade dolores,* sed hoc, ut ipse primus incurreret in agrum. Praeterea Vossium, quid verum esset, etsi non dicit, sensisse tamen conicio. Scilicet mirari lubet tot et tantorum virorum iudicia, quaerentium *Battarum* in tota rerum natura, illud non videntium, quod simplicissimum erat. *Homo est Battarus.* Id unus sensit atque indicavit obiter Fr. Iacobsius praeclara illa disputatione. Quod unum dico, non nego in eadem quemquam ante Iacobsium sententia fuisse. Veluti Heinsio scripta ad versum 1. quum lego ac perpendo, veritatem observatam esse ista scribenti dixerim, quamquam alio tempore de *colle* cogitavit. Deinde est aliquid Iacobsii sententiae simile in opinione Io. Christ. Wernsdorfii, sed id mirum in modum deflexum et deformatum. Wernsdorfio *Battarus, βάτταρος, nugator, blatero,* nomen est sive cognomen poetae alicuius, quem Cato hoc Dirarum carmine imitatus sit: fortasse Callimachi, propter Ibin. Sed molestum est breviter dicere, quae alius diffuse, et partim manifesto falsa, partim non satis inter se omnia concilianda disputaverit. Quare reliqua, qui volet, apud ipsum legat Wernsdorfium. Manifesto falsum illud est, ut unum commemorem, quod *παντολογίας* *scatere* carmen Catonis, et *verum βαττολογίας exemplum* esse dicit.

De nomine ipso *Battari* haec habeo. Vox non reperta est alibi. Sed tamen *Battara* est, nomen viri, apud Ciceronem Epist. ad Familiar. VII. IX. quem locum Heinsius protulit ad versum Catonis 1. et *βατταριζειν*, cum derivatis, *βατταρισμός, βατταριστής,* apud grammaticos, quos enumerare supersedeo: sufficiunt testes, antiquissimus,

Hipponax in Bekkeri Anecdot. I. p. 85, 20. et Cicero ad Atticum VI. v. Primam vocis originem rectissime explicuit Casaubonus ad Sueton. August. lxxxvii. ubi voces recenset fictas per *ὀνοματοποιίαν* ad exprimendum frequentem infantiae sonum *ba* vel *bat* aut *bad*. Inter eas igitur *βάττος* fuit. *βάττος*, inquit, unde *βαττολογία* et *βατταρῖζειν*, ut placet doctioribus Grammaticis: non a *Batto*, sicut somniant poetae. Doctiores Grammaticos dicit, ut Etymologum v. *βατταρῖζειν*. cf. boni grammatici observatio Anecd. Bekker. I. p. 224. et apud Hesychium v. *βατταρῖζειν*. sed Etymologus inprimis perspicue. Fuerunt igitur, quam multorum nominum, romanorum etiam, rationem fuisse constat, *βάττος*, et alia forma *βάτταρος*, quae sic non invenitur amplius, sed invenitur derivatum *βατταρῖζειν*, non propria primitus, sed appellativa nomina, iis tribui solita, qui illo linguae vitio laborabant, vel etiam simili: nam facile concedemus Casaubono, etiam ad alia vitia denotanda, pueritiae affinia, voces istiusmodi factas fuisse. Ut apud ipsum Ciceronem l. l. ad Atticum, *βατταρῖζων* non potest *balbutiens*, sensu proprio, esse. Inde quum nomina esse propria coepissent, potuerunt etiam iis tribui, in quos non caderet ullum linguae vitium. Ut Theocritus quum aliquem hominem *Battum* appellat, non significat, blaesum sive balbum hominem fuisse, sed nomen hoc est, ut sunt alia pastorum apud Theocritum nomina. Heinsio quare Siculum esse nomen *Battarus* videatur, non exputo: fortasse quod in Sicilia fuisse villam Catonis sibi persuasisset. Ego hoc tantum dixerim: primo, graecum fuisse origine; deinde, magis servorum quam aliorum hominum videri proprium fuisse. Ut ipsum Catonis Battarum servum fuisse conicio. Nam quominus fictum esse *Battari* apud Catonem nomen, et aliud latere sub eo statuamus, obstat simplicitas Catonis, qui suis res hominesque nominibus appellare solet, neque idonea aut ex nomine *Battarus* aut

ex carmine Catonis caussa reddi potest, cur Cato, si fictum ponere nomen voluisset, *Battari* nomen ponere quam aliud maluerit. De forma nominis satis est ut teneamus vocem *βάτταρος* esse productiorem formam vocis *βάττος*. Atque eam ad rem egregie facit secundo casu conservata alia, sed gemina forma, *βάταλος* vel *βάτταλος*. De qua itidem recte monuit Casaubonus. Ut enim nec *βατταριζειν* verbum a *Batto* rege, nec *βαττολογία* ab eodem vel ab obscuro quodam poeta derivandum est, ita nec *βατάλους* sive *βαττάλους* a nomine Batali tibicinis dictos esse credibile est: sed fuit etiam *βάταλος*, sive *βάτταλος*, primitus vox facta, ut Casaubonus indicat, ad imitandum sonum linguae puerilis. Videat aliquis quam sibi similia sint: *βάτταρος* et *βάταλος* s. *βάτταλος*, *Battarus* et *Battalus*. Nihil nisi liquidae inter se permutatae sunt; ac fatendum est hanc formam, quae litteram λ habet, etiam aptiorem meliusque factam esse ad imitandam linguae balbutientis mollitiem. Illud incertum videatur esse, an ad hanc vocis *βάταλος* originem et significationem omnes revocandae sint eius vocis significationes, quae Casauboni sententia fuit. Sane non statim patet hac via, quomodo *βάταλος mollem, effeminatum* significare coeperit. Magis etiam singulare, quod Harpocratio tradit, Eupolin *βάταλον* dixisse *τὸν προκτόν*. cf. Plutarch. Vita Demosth. p. 847. E. Nisi hoc ita ad primariam significationem etymologiamque revoces, ut hanc esse puerilem vel ad captum puerorum effectam partis illius appellationem dicas, numerandam inter nutricum *ὑποκορίσματα*, quo de genere aliquid Scaliger in Virg. Catalecta p. 244. ed. Lindenbr. Haec utut sint, cognomen certe Demosthenis, *Βάταλος* vel *Βάτταλος*, non alio modo explicandum, sed eo modo, quem nuper approbaverunt viri docti, Schaeferus Appar. ad Demosth. T. II. p. 251. Passovius Lex. Gr. v. *βάταλος*, de vitio pronunciationis accipiendum esse existimo. *Βάτταλος* nomen est etiam apud

Hedylum epigr. VII. ut alios omittam. Verum qui sint, quos spectat Gyraldus Poetar. hist. p. 138. E. To. II. quum scribit: *Sunt qui in Vergilianis poematis pro Bataro Batalum reponant: ego nihil statuo: id ego aequè ignoro atque illud, quae sint, ut idem scribit ibidem, caetera quae de Bataro a Scriptoribus traduntur.* An error subest, ut Erasmi is, quem P. Leopardus Emend. XV. XXI. tangit? Apud Catonem libri nihil offerunt, quod dubitari de scriptura nominis *Battarus* sinat. Leve est, et saepius obvia in his litteris librariorum consuetudo, memorabilis tamen, quod in duobus libris antiquis semper *Bactare* scribitur, non *Battare*; levius, quod libri editi non pauci, at tamen non antiquissimi, vitiose *Battare* exhibent in titulo carminis. Sed quam modo commemorabam duorum librorum scripturam *Bactare*, in mentem mihi revocat Ciceronis Epist. ad Trebatium libro VII. IX. locum, de quo non gravabor, quae mihi haec scribenti coniectura nata sit, exponere. Itaque de eo non dubito, quin recte fecerint, qui ibi *Battara* reponi iusserunt, quod nomen sic scriptum invenitur in libris non contemnendis, et tum in unius codicis scriptura *Bactra*, tum in *Baltera* latet, ut praeter alios libros habent, quae nunc mihi praesto sunt, Veneta per Bernardinum Benalium 1493. Ascensiana 1511. Quod aliis placet, *Vacerra*, quis sibi persuadeat corrumpi tam admirabili modo potuisse, quum id nomen ex epistola praecedente notum consuetumque esse librariis debuerit? Illo loco non haesisse in nomine *Vacerra* librariorum, hoc haesisse atque in omnia alia abiisse? At vero aliquid tamen etiam iis libris tribuendum esse puto, in quibus *Vacerra* est. Igitur *Vacerram* verum hominis nomen esse, adscriptum explicationis causa ab aliquo grammatico, *Battaram* vero cognomen eiusdem viri, sed ioculare, esse conicio, fictum aut a Cicerone, aut ab alio quopiam inditum *Vacerrae*.

Igitur humano generi vindicavimus *Battarum*. Et hoc

quidem post Iacobsium. Superest ut quali fere conditione homo fuerit monstremus. Quod ita peragemus, ut simul bonus numerus versuum Catonis, quos caeteri interpretes magis sibi intelligere visi sunt, quam intellexerunt, in luce ponatur sua.

Distinctum est Catonis carmen, Dirae, versibus intercalaribus satis multis, quos infra collectos dabo omnes, nunc eos tantum spectabimus, in quibus aliquid ad hanc quaestionem, quam agimus, momenti est. Sunt autem, praeter exordium carminis,

Battare, cygneas repetamus carmine voces:

Divisas iterum sedes et rura canamus,

Rura, quibus diras etc.

hi: v. 14. 30. 54. 71. 75. 97.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.

Nec mihi saepe meum resonabit Battare carmen.

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Extremum carmen revocemus Battare avena.

Perpendas singula, *repetamus, revocasti, revocemus*: vides ubique respici aliquid, quod praecesserit. Quaeritur quid illud sit, quod praecesserit. Et de exordio carminis plane nulla dubitatio est: respicitur, quod iam supra tamquam certum posuimus, *Indignatio*. Verum qui hoc recte perspexerat, Scaliger, idem etiam reliquos locos, quos apposui, si non omnes, saltem plerosque, eundem in sensum accipiebat. Nam ad v. 1. ita scribit: *Subinde intercalatur τὸ Repetamus: ut innuat se olim in Indignatione haec iam dixisse.* Statuendum erit, ut hoc credas cum Scaligero, *Indignationem* non solum in universum simile, sed in singulis suis partibus simile *Diris* carmen fuisse, et iisdem execrationibus, quibus constant Dirae, constitisse. Quod ego neque Suetonii testimonio comprobari

video, qui quae de *Indignatione* tradit, aliud carminis illius argumentum fuisse, et quidem, saltem ex parte, historicum ostendunt; neque hoc dignum bono poeta, his eadem scribere. Multo magis veri simile est, in *Indignatione* diras breviter indictas fuisse agro, idque, ut coniecere licet, in fine carminis, postquam se spoliatum esse agro, et indigno spoliatum modo, narravisset. Postea, nova irascendi querendique caussa illata, quod ibi breviter peregisset, exornare atque amplificare, et novum inde carmen deducere, quod totum diris constaret, animum induxit.

Wernsdorfius, qua est inconstantia, dum pag. LII. concedit in sententiam Scaligeri, reliqua disputatione sua aliam huic rei versibusque istis explicationem quaerit, non ineptam quidem illam per se, et duobus locis accommodatissimam, sed qua ipse supra modum abutitur. Profectus ille a sua explicatione nominis *Battarus*, proprium hoc diris et execrationibus esse ait, ut saepius eadem repetant atque inculcent. Itaque hoc Catonem fecisse Diris: semper eadem dici ac repeti, mutatis verbis; idque ipsum indicare. subinde Catonem, quum dicat *repetamus, revocemus*. Cf. Wernsdorf. ad v. 1. 14. 19. 97. Bene, si verum esset, quod ponit Wernsdorfius, semper eadem dicere ac repetere Catonem. Ut nunc res est, quum, duobus locis exceptis, singulae Catonis imprecationes minime idem dicant, sed valde diversas imagines praebeant, quae hunc tantum communem finem habent, ut ad ruinam agri spectent omnes, concidit atque in fumum abit ex maxima parte sua Wernsdorfii explicatio. Quibus locis unice accommodatam, et haud dubie veram esse Wernsdorfii interpretationem dixi, hi sunt: v. 14.

Rursus, et hoc iterum repetamus Battare carmen.
et 97.

Extremum carmen revocemus Battare avena.

Utroque loco quae praecedunt versum intercalarem, et quae sequuntur, eadem sunt ad sententiam, verbis tantum diversa.

Aliam rationem reliqui loci habent. Scilicet unum neglexerunt viri docti, quo recte observato depellitur quicquid in hac quaestione tenebrarum est. Sunt inter versus istos intercalares nonnulli, qui *Battarum* non nihil agere in *Diris*, dum canit Cato, probant. Hos dico, qui ita loquuntur clare, ut nullus dubitationi locus relinquatur, v. 54. et 71.

Tristius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Dulcius hoc, memini, revocasti Battare carmen.

Nam quomodo Catoni *revocat* carmen *Battarus*, nisi ipse aliquas in canendo partes agit? Nec minus huc faciunt v. 1. 2. 14. 97. *repetamus, canamus, revocemus*. Quorsum enim pluralem, si nihil nisi auditor esset *Battarus*? Denique ne illud quidem de nihilo est, quod *Battarus* tam saepe compellatur.

Itaque conformatio huius carminis talis est, ut actionis cuiusdam speciem praebeat. Cato versus dicit; canit *Battarus* fistula. Non quod hoc re vera ita actum fuerit: fingitur ita fieri. Verum est, apud Theocritum, Virgilium, alibi, ubi avenae vel tibiae fit mentio, plerumque ita fieri, ut qui versus dicit, idem etiam canat sibi fistula tibiave, vel potius intercinat. Sed inveniuntur tamen etiam alterius modi vestigia apud eosdem poetas, ut Theocrit. VII. 71. 2. et reputandum est, non esse *Catonem* ex pastorum apud Theocritum et Virgilium consuetudine moribusque metiendum: pastorem poetam decet instrumentum pastorale, fistula, avena; *Catonem*, qui pastor neque fuit, neque se esse pastorem fingit, minus decet, vel, ut non dedeceat, certe mirum non est, quod fistulam alteri reliquerit, ipse suam curam unice ponat in versibus faciendis dicendisque. Quam usitatum apud Romanos fuerit,

ad tibicinem canere, multis ac satis notis exemplis constat. At vero, inquis, etiam Catonem canere avena manifestum est ex versu 7.

Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
et ex v. 75.

Tristius hoc rursum dicat mea fistula carmen.

Num igitur uterque canunt vel intercinunt, duabus avenis, Cato et Battarus? Fieri ita potuit, quamquam non puto factum esse. Est potius, ut antea dixi, una avena, Battari; et quod v. 7. 75. *mea avena, mea fistula*, dicitur, improprie dicitur. Ut ubique poetae, etiam nostrates, et qui nunquam digito attigerunt chordas, lyra se aut tibia, dum versus faciunt, canere fingunt. Id inprimis conspicuum in versu 7. ubi *libera avena* ne sensum quidem haberet, si proprie acciperetur *avena*, sed est pro *carmine*: multa prius fuerint, quam non fuerit liberum carmen meum. Versu 75. hoc tantum dicit: age rursum tristius hoc carmen dicam. Eadem in sententiam interpretandus versus 19.

Nec desit nostris devotum carmen avenis.

ubi *avenas* dicit unam Battari, quae re vera avena est, alteram improprie, h. e. suum cantum.

Iam si tibicinis partes in Diris peragit Battarus, non diu quaeremus, quali homo conditione fuerit. Fuit haud dubie servili conditione homo, idonea fistulae vel tibiae peritia pollens, fortasse pastor, quocum et olim Cato, beatus otio ruris sui, cecinerat, et nunc se canere Diras fingit. Et apte hoc fingit, quum scenam carminis, ut dixi, in agro suo posuerit, Battarum vero, ut alios servos, restitisse in agris, Catone expulso, probabile sit. Fistula Battari iam antea usum esse Catonem, et aliquam eius mentionem in carminibus ante Diras fuisse, tum illud videtur declarare, quod de Battaro in Diris ubique tamquam de nota persona loquitur Cato, tum maxime colligitur ex initio carminis, ubi *Battare repetamus* scribi non licuisset,

nisi iam antea aut alio in carmine aut, quod non improbabile, in ipsa *Indignatione* opera Battari in canendo usus fuisset. At saepe usum esse Catonem Battaro, etiam ex versu 30. colligo. Cf. ad. v. 54. 71. monenda. Praeterea duplex ad disputationem nostram momentum in v. 63. seqq. inest:

Si minus haec Neptune tuas infundimus auris,

Battare, fluminibus tu nostros trade dolores:

Nam tibi sunt fontes etc.

quibus versibus cur Battaro favere flumina fontesque dicantur, luculenter apparet, postquam fistulae peritum fuisse Battarum monstravimus, et discitur ex iisdem, remansisse in Catonis villa Battarum. Nam Cato ibi, dum abit in perpetuum, mandat Battaro, quod se absente peragendum sit.

Reliqua suo loco ad singulos versus observabuntur. Hic semel omnia quae disputavimus paucis complectemur. Ergo initium facit Cato a recordatione carminis prius scripti, *Indignationis*: age, inquit, o Battare, repetamus carmen illud cycneum, h. e. lugubre et supremum. Septem versus, qui exordium constituunt. Ab octavo ipsae Dirae incipiunt. Quando Battarus exhortationi Catonis pareat, et canere fistula incipiat, fortasse alius iudicabit alio modo. Erit cui statim ab initio Cato canere cum Battaro videatur. Mihi magis placet incipere Battarum post exordium carminis: exordium sive prooemium, quo exhortatio ad Battarum continetur, sine fistula dici a Catone solo par erat. Iam vèro in Diris, inde a versu 8. usque ad finem, nihil scriptum est quo respiciatur ad *Indignationem*. Novum carmen, et per se constans, Dirae sunt. Inserit passim versus intercalares, quibus nunc se ipsum, nunc Battarum, nunc se et Battarum excitat, commonefacit, confirmat, variis sententiis. De Battaro restat ut quaeratur, utrum inter singulas imprecationes intercinat, id

quod, si cui ita placeat, iis locis fieri putandum erit, ubi versus insertus est intercalaris, ut in illo Virgillii carmine versus *Incipe Maenaios mecum mea tibia versus*, indicium est intervallorum, quae tibiae cantu explentur; an, quod praefero, totum Catonis carmen ab initio usque ad finem persequatur et exprimat fistula. Nempe alia carminum ratio est eorum, in quibus unus et versus dicit et fistula tibiave canit, quae res nequeunt simul peragi; alia eius, in quo munera illa duobus divisa sunt. Atque sic facillimam explicationem habent versus 54. 71. Et tum quidem veri simile est, remittere fistulam Battari, dum Cato versus dicit intercalares. Caeteram iam monui nunquam Diras eo modo actas esse, sed fingere Catonem haec omnia.

Post haec apparet, quam recte ad inscriptionem carminis *Dirae* multi libri editi appositum habeant *ad Battarum*, vel ut alii nonnulli, quod etiam peius, *in Battarum*. Ut nunc taceam additamentum alterum: *Dirae*, id est *carmen execratorium*, *ad Battarum*.
